

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Lvdovici Venegas ... Mariale beatissimae virginis variis
conceptibus moralibus illustratum**

Venegas, Luis

Friburgi Brisgoiae, 1624

Sermo tertius

[urn:nbn:de:bsz:31-160454](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160454)

lestibus, ciuibus ostensa sunt, humana lingua explicare poterit. Quando Bethsabée suum filium Salomonem conuenire & inuisere voluit, *Positusq; est thronus matri regis, qua sedis ad dexteram eius.* 3. Reg. 2. Quam sic Salomon affatus est. *Pete mater mea: neque enim fas est vt avertam faciem tuam.* Bethsabée autem solum pro Adonia proditore rogauit. Sic Beatiss. Virgo in sua gloriosissima assumptione ad dexteram sui filij sedes, *assitit Regina à dextris tuis,* ps. 44. perpetuum patrociniū pro peccatoribus, qui sunt Dei proditores, agit, & forsitan hac de causā in corpore & anima ad caelestia regna evolauit, vt, sicut Christus suū sacratissimum corpus diris vulnerib; transfossū Patri Diuino ostendit, cum eum contra peccatores iratum animadvertit, vt iustum illius furorem compescat; ita Maria sanctissima suo Filio meritō in peccatores propter ipsorū scelera comoto, sua vbera ad eum placandum proponat, vt sic homines ad suam pristinam amicitiam reuocet, in presenti saeculo gratiam impetrando, & in futuro gloriam, quam mihi & vobis praestare dignetur Iesus Christus. Amen.



Sermo Tertius.

PRO SALVTATIONE
Angelica.

I quis Dei effectus varios, & diuersitatem influxuū diuinorum, quibus dōa supernaturalia nobis communicat, attentē perpendat, statim deprehendet Deum eodem modo in iustorum animas influere atque sol, cum in hac inferiora suae lucis radios diffundit. Sol enim si in amena & virentia prata micantem splendorem inluat, visum varietate florum splendentū recreat & delectat; si verō in aquae crystallinae fluvium suos radios dispergat, mirabili plane iucunditate ex aquarum conspectu orta, nostros animos replet: Quod si puro & crystallino speculo suam lucem communicet, tantā vi & efficaciam suum effectum causat, vt visus noster splendenti luce hebetatus ac percussus, vix praevirium debilitate solem in speculo splendentem intueri possit. Sic sol iustitiae, cum Ecclesiae virentibus confessorum pratis sua dona communicat, maximā intuentes delectatione afficit; iucundissimum enim est v-

nius

nus sancti confessoris animam diuini donis exornatam intueri, quæ ex se suavissimum odorem exhalat, & omnes arbores, quæ secus decursus aquarum in ea plantatæ sunt, suo tempore vberriimos fructus producant; Si verd in martyrum perlucencia flumina inluat, maximam iucunditatem excitat. Quodd si in ctystillinum Mariæ sanctissimæ speculum suorum donorum radios diffundat, tantâ vi & efficaciâ in eius sanctissimam animam influit, vt suo splendore fulgentissimo supremi Cherubini vilum hebetet & attenuet. In tantam lucem & tam eximium splendorem hodiè mentis oculos defigere debemus, nè tantâ luce opprimantur & deficiant, necessarium est, vt viribus & gratiâ Spiritus Diuini roborentur, hanc internentu eiusdem Spiritus postulemus dicentes. Ave Maria.

Intrauit Iesus in quodam castellum &c. Luc. 10. cap.

Hodiè, charissimi filij, felicissimam mortem & fortunatum transitum Mariæ sanctissimæ ex præsentis sæculo ad futurum, gloriosum eius triumphum, ac celebrem coronationem, illustriorem planè quacunque alteri Reginæ aut Imperatrici factæ, Ecclesia nostra mili-

tans his octo diebus, & triumphans per totam æternitatem celebrat. Nos, qui in Ecclesia militante versamur, maximis lætitiæ signis, sanctis desideriis, admixtis etiam lachrymis ex interna devotione ortis, tam fœlicem vitæ terminum & gloriosam assumptionem celebramus: At Beati tantam festiuitatem omni pompâ & apparatu, sicut tantæ principissæ decet, celebrant. Nos, licet tanto Beatissimæ virginis bono ac gloriosa coronatione exultemus, timidi tamen & solliciti propter damna & incommoda, quæ ex illius absentia suboriri possunt, simul cum eius præstantissimæ gloriæ laudibus, nostram miseriam, & eius auxilii indigentiam exponimus, ac ope ardentissimis desideriis, & sanctis orationibus his etiam vocibus imploramus. O Domina mundi, O mater Dei, O Regina cœli intra ad ætherea regna, & deprecare Deum pro populo tuo. *Et quis nouit vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris? Esther 4. cap.* O mysteriosa Esther regalibus exornata vestibus, pro nobis in cœlesti patria coram Rege compareas; & quis nouit vtrum idcirco ad regnum veneris. Sed quis non nouit, te tam illustri Reginæ cœlorum titulo idè decoratam fuisse, vt pro nobis perpetuò apud Filium & Patrem intercederes? Cives verd cœlestis aulae simul cum nostro Salvatore Iesv

Christo summoperè desiderantes, vt Maria sanctissima tanquam pulcherrimum Ecclesiæ collum, cum suis sponsi capite coniungeretur, & quæ ita viriliter in hac vita decertauerat, in alia triumpharet, atque suis plantis stellas firmamenti conculcaret; harmoniâ cælesti & concentu planè diuino eâ hodiè ad gloriosum thronū, & sui imperii coronam capescendam, his verbis invitant. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amanæ, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus paradorum. Cant. 4.* Ac si dicerent. De monte Libano ad nostra palatia conscendas charissima sponsa nra. Libanus mons albus erat, & propter varietatem & diuersitatem florum ex se suauissimum odorem exhalabat: Ex monte ergò Libano ad cælestia gaudia conscende; quia tuæ purissimæ vitæ candor, & heroicarum virtutum sua visissimus odor, tam præclara præmiâ dignissimè promerentur. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni.* Mysterosa sanè est crebra ista verborum repetitio, non enim semel spiritus beati ad cælestia præmia capescenda, sed tertio eam invitant. Alii, qui ex hac vita feliciter discedunt, tantum in anima vsque ad vniuersalem resurrectionem supremâ beatitudine fruuntur, idèd cum ad cælestia gaudia invitantur, tantum semel eis dici potest. *Veni*

de Libano. Mariæ verò sanctissimæ semel ad gloriam animæ indicandam, secundo ad gloriam corporis, tertio etiam ad præuentam sui corporis resurrectionem manifestandam, prædicta sponsi verba repetuntur. *Veni de Libano sponsa, veni de Libano, veni: coronaberis, &c.* Non ad quamcunque coronam invitatur Beatissima Virgo, sed ad diadema pretiosissimum, non solum firmamenti stellis, quas Evangelista Iohannes aspexit, elaboratum, sed figuris etiam tigrum, leonum, draconum, ac viperarum pulcherrimè distinctum, vt belluæ prædictæ indomitæ & virulentæ, in domesticos & obediens filios Ecclesiæ convertantur, in corona etiam contextæ, non horrorem & stuporè, sicut antea, sed iucunditatem & animi maximas delicias excitabunt, imò coronam Mariæ sanctissimæ illustrissimam & speciosissimam reddent. Vtinam hodiè. Charissimi Auditores, Spiritus Diuinus nostrum animū & vires ita cōfortaret & eleuaret, nè visus præ tenuitate deficiat, si defixis oculis hanc aquilam cælestium avium, id est, Angelorum Reginam, intuerivelit, quæ hodiè tam celeri & alto volatu affurgit, vt in illo, & in altissimo nido, quem sibi in cælestibus palatiis extruit, omnipotentiâ diuinam indicauerit. *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis*

ponet

ponet nidum? *Iob 39. capite.* Ac si Deus manifestius diceret. Nullus præter me, etiã si magnis virib. & potentia valeat, solã voluntatis suę implo ac mādato efficiet, vt aquila ex terra ad suprema cœli fastigia eleuetur, ac ibi nidum suum in arduis collocet. Solus Deus tantã potentia & viribus eminet, vt infirmam & debilem ac terream creaturam, ita ad imperium mouere possit, quod vltra aquilæ volatum, cùm nulla supremam aeris regionem conscenderit, eam mirabiliter eleuet. Sola hæc, ex ordine, præcepto ac dispositione diuinã, hodierna luce tã alto volatu ad superiora euehitur, vt nõ solum supra aeris & ignis supremam regionem locum teneat, sed etiam supra cœlestia corpora, quibus planetæ & stellæ affixæ sunt, & primum mobile, ac supra omnes Spiritus Angelicos eleuata sit. Quã cùm cœlestes illi aulici in tam supremo loco constitutam conspexerunt, eã omni honore reverentiã & obedientiã tanquam suam Reginam prosequuti sunt, Angeli, famulantes illi viam sternunt, Archangeli, vt legatigenua flectunt, Throni, super humeros portant, Dominationes, suã potestate viam aperiunt, Principatus, per suos ministros omnia obsequia præstant, Potestates illius, in signia & stemmata deferunt, Virtutes, de viã securitate certam reddunt ac

comitatu honorifico famulantur, Cherubim, suam magnitudinem ac præclarè gesta facinora plenitudine scientiæ & doctrinæ prædicant, Seraphim, suarũ voluntatũ ardentibus luminibus comitantur, & charitatis igne, quo inflammati sunt, suæ reginæ charitatem manifestant, & omnes vna voce dicunt. *Specie tua & pulchritudine tua: intède, prosperè procede & regna. psal. 44.* Eleuata est aquila ad præceptum tuum, eleuata est aquila ad cœlestia regna, supra cœlum Empyreũ euecta est, vbi omnia creata sub pedibus continet, & supra se solas Diuinas personas tanquã superiores recognoscit. Quod optimè in cœlestium corporum ordine, quæ diuina sapientia quoad dispositionem planetarum obseruauit, apertè demonstratur; Quia in quarto cœlo solem constituit, qui supra se tantum tres planetas sibi superiores agnoscit, infra se tamen omnes alios tanquam inferiores sub se continet. Ita diuinus iste sol, Maria in quã sanctissima, in cœlestibus palatiis constituta, supra se Diuinas Personas, vt superiores fatetur, infra se tamen alia sub eius pedibus continentur, etiam si supremos Spiritus Angelicos enumerare velis. Petet tamen aliquis vestrum, quare Beatissima Virgo nõ simul cum suo Filio ad cœlos ascendit? conuenientius enim videbatur, vt abo simul in

lesti patria triumpharent. Ad quod respondeo, quod posset Deus suam Sanctissimam Matrem in sua gloriosa ascensione secum ferre, noluit tamen suos Apostolos in fide novitios & teneros Mariæ sacratissimæ præsentia priuare, ut ipsa eos in fide confirmaret, in dubiis doceret, & in laboribus consolaretur. Secundò, noluit Christus Redemptor noster suam sacratissimam Matrem secum ferre; quia, ut gloriosus Anselmus dicit, speciali gloriâ & triumpho in cælesti regno, tanquam imperatrix & omnium Beatorum Spirituû Regina recipienda erat: Idèd æquum non erat, ut Christo comitata, cui necessariò omnis gloria & triumphus attribuendus erat, cælestia palatia occuparet. Cum enim Rex Ciuitatem aliquam ingreditur, etiam si magnatibus & potentissimis Principibus stipatus sit, pompa tamen & apparatus ac triumphalis gloria, quæ recipitur, non ipsis, sed soli Regi attribuitur. Tertio noluit Christus, ut sua Sanctissima Mater secum ad præmia aeterna capescenda conscenderet, ut maior gloriâ, quàm ipse, in sua ad cælos assumptione potiretur. Ipsa enim non solum Principibus, magnatibus & nobilibus aulæ cælestis, sicut Christus, comitata fuit, sed etiam ipso Salvatore nostro occurrente, celeberrimo comitatu super omnes cælos exaltata fuit. Ad cuius proposi-

tum Sanctus Aug. Lib. 2. De Ciuitate Dei cap. 30. refert. Deorum matrem aliquando Romam ingredi noluisse, quovisque præcipuus ciuium Romanorum Scipio Nasica ex Apollinis oraculo & declaratione ei in occursum venit. Maria ergò Sacratissima hodiernâ suæ Assumptionis die, non fabulosè, sed verè Cælestem Romam ingressa est, cui Sanctus Sanctorum, & nostræ iustificationis auctor, vniuersâ curiâ cælesti comitante, summo gaudio, lætitiâ & exultatione occurrit, atque in cælorum Reginam & Imperatricem extulit ac proclamauit. Sed ut in particulari aliqua de Beatissimæ Mariæ morte, resurrectione, & glorificatione proferamus, quæ vobis gratissima fore existimo, ab illius morte nostrum discursum exordiamur. Mors planè Mariæ Sanctissimæ rara fuit; quia communes affectiones & ferocem vultum deferens, se amabilem & hilarem ostendit, tristitiam enim suâ, dolores, deformitatem, pallorem, & reliqua accidentia, quæ causare solet, dereliquit: Adfuit ergò sacratissima virgini nõ arcu aut pharetrâ, ut in eam imparatam, sagittam emitteret, cū semper lætissimo vultu mortem aspiceret; nec falce eam aggressa est, sicut regulariter in mortales insurgere solet, quia non violenter, sed suaviter & leniter ad illius fores pulsauit, neq; repenti aut ex improvisò tanquam

quam domina adventavit, sed vt ancilla accersita venit. Corpus quidem accepit, non vt corruptioni traderet, sed per modum depositi, vt iterum redderet, quando peteretur: imò ei præceptum fuit, vt diligenter vigilaret, ne forsitan aliquid accideret, quod illius pulchritudinem alterare, aut membrorum integritatem immutare posset. Plura ex antiquis miraculis in hac morte renouata fuerunt. Magnum planè miraculum fuit, quod coruus, ex propria natura voracissimus, cibum Eliæ fideliter detulerit: Sed majus, pfectò miraculum, quod mors, quæ ex sua natura tam amara est, ac tantis doloribus & angustijs plena, quæ tantum horrorem & deformitatem in humano corpore causat, hîc in Maria Sanctissima suum ordinarium cursum mutet, & pulchra, facilis & suavis reddatur. Renouatum est etiam Danielis miraculum, qui inter leones cõstitutus, liber, & sine vlla corporis læsione evasit: Virgo enim sacratissima, licet intra vngues huius rapacissimi leonis, mortis scilicet, extiterit, nullo tamen mortali accidete læsa fuit. Præterea miraculum, quod in Libris Regum refertur cap. 17. in morte Reginæ Angelorum renouatur. Cùm enim Leo Prophetam interemisset, nò tamen comedit, aut illius membra lacerauit, potiùs comitatus est, & illius corpus custodiuit quoylsque alius

Propheta corpus emortuum accepit. Et leo stabat iuxta cadaver. Scitòptimè Deus voracem coruum ieiunum & abstemium reddere, leonum furorem compescere, mortis vires cohibere, latrones in fideles conuertere. Resurrectio deinde Beatissimæ Virginis peculiaris etiam extitit, sicut & mors. Quia ad normam resurrectionis Christi effecta est, & licet nullus fidei articulus hanc resurrectionem asseueret, ita tamen in Ecclesia recepta est, vt si aliquis eam negaret, non longè ab hæretica prauitate distaret. Et quis hanc veritatem in superioribus latè ostèdim⁹, sufficiat modò ad hui⁹ cõfirmatiõem locus ille Prophetæ Davidis psalmo. 131. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca Sanctificatiõis tuæ.* Quæ licet ad literam de arca Domini intelligatur, pro cuius sacrario Rex Dauid elegantissimum templum extruere volebat, quod requiem Domini in præfenti versu appellat: Etiã intelligitur de requieet tranquillitate Ecclesiæ, & de illius sacratissimo templo, cuius figuram arca fæderis gessit. Quare locus iste interpretandus etiam est de noui testamenti arca, Regina nempè Angelorum, cuius altera veteris testamenti arca figura fuit; Et quemadmodum illa antiqua in se retinuit Manna: Ita Maria Sanctissimæ filium Dei, Manna suauissimum de cælo præstitum, intra se cõseruauit.

uit. Multos legimus à mortuis suscitatos fuisse, non quidem vt perpetuò viuerent, sed vt iterum morerètur: De aliis etià creditur, eos in corpore & animà diuinà visione potiri; De nullo tamen ita certò & tam efficacibus rationibus, atq; de Beatis. Virgine ostendi potest, quòd in corpore & anima ad cœlestia præmia capescenda conscenderit. Neque enim iustum erat, vt corpus, quòd Christi sacrarium extiterat, & ex quo suam sacratissimam carnem assumpserat, in terra maneret, & hoc est, quod illis verbis insinuat Propheta Dauid. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca Sanctificationis tuæ.* Tertium mysterium fuit eius glorificatio, ad quam explicandam nulla humana lingua pertingere potest; ingenium enim nostrum debile & infirmum est, si ad superiora & cœlestia pertractanda cõscendere velit: idèd gloriosus Bernardus de gloria Beatissimæ Virginis verba faciens, sic dicit. *Si oculus non vidit, nec auris audiuit, neq; in cor hominis ascenderunt, quæ preparauit Deus diligentib; se; quid preparauit gignenti se, & super omnes diligenti se, quis explicare valeat?* Vnde Euangelistæ, licet alia mysteria latè explicent, cùm verò de IESV Christi nostri Redemptoris gloria loquuntur, solùm vnum vel alterum verbum proferunt. *Sedet à dextris Dei;* nihil aliud proferre sciunt. Propheta E-

saïas solà Angelorum admiratione, ascensionem Christi ad maiorem illius ponderationem explicat. *Quis est iste qui venit de Edom, rinctis vestib; cap. 63.* Ea enī, quæ in Angelis, quorum ingenia tam acuta & perpolitata sunt, admirationem excitant, absque dubio notanda & admiratione dignissima erūt. Eundem modum in Canticis obseruat sponsus, vt gratiam sponsæ exponat, quā in hac vita floruit, & gloriam, quā in futuro sæculo decorata est, quod triplici admiratione explicat. Prima est. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi? cap. 3.* Vbi miratur sponsus prima rudimenta, principia ac pueritiam sponsæ, quæ tantam suauis fumi virgula, diversorum odorum suauitate admixta incipiebat; Et quemadmodum fumus ignem demonstrat, ita ibi apertissima ignis charitatis indicia, quæ in Angelorum Regina etiam in infantili ætate eminebant, manifestabantur, vnde diuersitas ac varietas odorum aliarum virtutum oriebantur. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum &c.* Non dicit sponsus de deserto, sed per desertum, vt intelligatur suā charissimam sponsam, tantā virtutum varietate enitiuisse eo tempore, quo per huius vitæ desertum incedebat. Secunda admiratio est. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum*

acies

acces ordinata. Videtur sanè spon-
 sum admirari, qualiter Angelorum
 Regina in ostentatione suæ eximie
 sanctitatis semper progrediendo
 cresceret; quo incremento suam præ-
 stantiam apertis indicijs prænunci-
 at, ideò eam auroram vocat, vt ex
 sole ex illa nascituro, totius vniver-
 si attentionem capter, & sanctitas
 ac virtutes illius excellentes ani-
 maduertantur. Sic in aliquibus san-
 ctis, qui in sanctitate floruerūt, con-
 tigisse nouimus, Deus enim, vt exi-
 mias illorum virtutes prædiceret, e-
 tiam in vtero materno miranda ali-
 qua signa præmisit. De Beatissimo
 Patre nostro Dominico, & Sanctiss.
 Bernardo legitur, quod illorū matres
 in somnis canes, qui ardentes faces
 ore gestabant, conspexerunt. In os
 etiam Sancti Ambrosii & Isidori a-
 pes intrantes & egredientes visa
 sunt, quæ favum mellis ibi fabri-
 cantes, futuram eruditionem prædi-
 cebant: Ita Beatissima Virgo ab in-
 eunte ætate signa apertissima futu-
 ræ excellētiae præ se ferebat, quia in-
 dies in vitæ sanctimonia & virtutib,
 heroicis crescebat, ideò dicit spō-
 sus, *Qua est ista, que progreditur?* Quia
 Angelorum Regina nunquam vi-
 res & animū, ac spiritū amisit, sēper
 in virtute creuit, & hac de causa à
 principio *virgulam fumi* appellat,
 postea *auroram*, deinde *solem & lu-
 nam*, tandem, *castrorum aciem or-
 dinatam.* Hoc est, in virtute integrā,

perfectam, & omnibus numeris ab-
 solutam, *Terribilis vt castrorum a-
 cies ordinata.* Tandem tertia ad-
 miratio gloriam continet, quā An-
 gelorum Regina hodiernā assump-
 tionis die decorata est, & illius tri-
 umphalem pompam, quā cælorum
 palatia ingreditur. *Qua est ista, que
 ascendit de deserto, delictis affluens, e-
 nixa sup dilectū suum?* Cant. 8. Meritò
 admirantur Spiritus Angelici, cum
 eam tantā gloriā & lætitiā cælestia
 regna occupātem, & cū suo charissi-
 mo sponso nuptias celebrantem, in-
 tuentur. Tria in nuptijs pensari so-
 lent, vt splendida & celebres ha-
 beantur: imprimis opiparum con-
 uiuium; secundò vestitus & ornatus
 sponsæ, tertio grauissimorum viro-
 rum ac nobilium comitatus. Si ad
 conuiuium hodiernum, quod in
 nuptijs Regina Angelorum cele-
 bratum est, attendamus, fuit planè
 splendidissimum & abundantissi-
 mum; quia omnibus aulicis cælestis
 curiæ præparatum est. Si enim ex
 singulis iustis, qui saluātur, cælestes
 illi aulici gloriam accidentalem
 participant, quantam hodiè partici-
 pabunt suam Dominam & Regi-
 nam intuentes, tantā gloriā & ma-
 iestate promerita sibi præmia ca-
 pescentem? Vestitus etiam & orna-
 tus sponsæ optimè illis verbis descri-
 bitur, *delictis affluens.* In alijs nupti-
 js etiam si sponsa pulcherrima sit,
 & splendidissimis vestibus incedat,

K k

nun-

nunquam tamen omnibus placet, quod vni placet, alteri displicet, & semper aliquid invenitur quod alicuius oculos offendat. Sponsa tamen diuina caelestibus *deliciis affluens*, omnibus placuit, caelestes illos aulicos immenso gaudio repleuit, recreauit & delectatione quadam diuina affectit, nihil in illa repertum fuit, quod vel minimam reprehensione dignum foret. Vestes diuinam quadam proportionem constituta fuerunt; si enim gloria, quae vestis nuptialis est, magna fuit, merita etiam magna extiterunt, pretiosissima ergo gloriae vestis non sine proportionem, sed iuxta sponsae merita collata, & splendidissima elaborata fuit. Tertium, quod nuptias illustrare solet, est comitatus, qui in Reginae Angelorum hodiernis nuptiis tantus & tam honorificus extitit, ut Iesus Christus pretiosissimus eius Filius cum vniuersa curia caelesti eam comitatus fuerit, imò ita propè ipsi adfuit, ut manum illius tenens, simul cum ea conscenderit; & tantam familiaritatem ambo processerunt, ut Maria Sanctissima illius pectori & brachiis inniteretur. Hodie ergo Regina Angelorum tanquam Mater Dei in caelesti patria recepta fuit, quam quæso, gloriam hodiernam assumptionis die exornata fuit? id mente quidem cogitari potest, non tamen humanam linguam exprimi aut enarrari, mysteria enim tam sumptuosa, silentio potius quam verbis

explicari possunt. Ita insinuauit Prophetam David ps. 64. *Te decet hymnus Deus in sion*. ubi Secundum aliam translationem dicitur, *Tibi silentium Deus*. Id est, laudes & mysteria diuina melius silentio, quam lingua aperiantur, idem prudentius & tutius est ea silentio praeterire, & operibus manifestare, ut postea in beatitudine intueamur, quam mihi & vobis praestare dignetur Iesus Christus Amen.



Sermo Quartus.

PRO SALVTATIONE Angelica.



Gloriosus Evangelista Lucas tanquam diuinus & elegantissimus pictor, quatuor pulcherrimas imagines nobis in suo Evangelio depingit, & ante oculos proponit, quibus virtutes & laudes Beatissimae Virginis optimè exprimit: imprimis arcem & castellum hac inscriptione notatum delineat. *Intrauit Iesus in quoddam castellum*. Maria Sanctissima castellum est inexpugnabile & munitissimum, ex quo fortissimorum virorum armatura pendet. *Mille clypei*
pen-